



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XCI. Ezechias ægrotans, prodigiose. &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

gémque verbis, Ierofolymitas in terrorem ultimum
 conjecisset: DEUS Regis, & Isaiaë vatis precibus,
 Davidisque præterea grata recordatione provoca-
 tus, Angelum cælo demisit: qui noctu barbarorum
 aggressus castra, centum & octoginta quinque mil-
 lia fortissimorum militum interemit; ac Sennache-
 ribum, cum decem haud ampliùs comitibus super-
 stitem relictum, turpem in fugam avertit; æquam
 Regis causam, quam tyrannis impugnârat defen-
 dente cælo; id quod fusiùs jamjam prosequemur.

NARRATIO XCI.

EZECHIAS ÆGRO-
 TANS, ET PRODIGIO-
 SE CONVALESCENS.

4. Reg. cap. 20. Isaiaë 38.

Anno Mundi 3322. ante Christum 731.

SCeleri tributum solvere libera virtus detrectat.
 Post Sardanapalum cum omnibus luxuriæ in-
 strumentis, in rogo deflagrantem, Assyrium
 imperium Duces diviserunt, uti narravimus in Io-
 na. *Arbaci* Media & Persia, *Beleso* Babylonia, *Phu-
 li* Ninus seu Ninive cessit, in quo & Successoribus
 species quædam imperij Assyriaci mansit per annos
 centum, donec id ad Babylonios, eversâ planè Ni-
 nive, translatum est. *Phuli* successit *Theglathalasar*
 filius, qui luctuosa cæde Israëlitas affecit, vastata
 penitus regione, captivisque abductis ingenti nu-
 mero. Eodem genitus, *Salmanasar*, reculante tri-
 butum pendere Israëlitico seu Samariticô Rege *Osea*,

F e 5

Sama-

Samariam regni sedem obsedit, expugnavit, Israëlitas omnes, in quibus Tobiam cum familia, Ninum in captivitatem deduxit. Salmanasari vitâ functo, subrogatus *Sennacheribus*, cognomento *Sargon*, tributariam, in Iudæos quoque Reges, tyrannidem, quantò patre ferocior ac tumidior, tantò constantius & imperiosius exercere perseveravit.

Quæ principio quidem ab Ezechia, Solymæo Rege, tacito cum dolore tolerabantur; ubi verò rerum indignitas & insolentia crevit, excutiendum suis à cervicibus Assyriacum sibi jugum existimavit. Igitur consueti tributi stipendia Sennacheribo solve detrectat, divina sibi, humanaque ad bellum sustinendum præsidia multò antè præparat, Ierolymam præcipuâ diligentiam firmat, ac communiter operibus, milite, comœatu, & introductis in urbem subterraneis aquarum canalibus. Sennacheribus ob negata tributa immensum diversis exercitibus exercitum in terram Chananitidem ducit, complures urbes capit, evastatque, infestus non hominibus modò, sed DEO quoque. Fastû ejus inflabant victoriæ varijs in provincijs per Duces relatæ, tanto omnium terrore, ut Ezechias quoque argenti talenta trecenta, & auri triginta [faciunt duos millones, trecenta, sexaginta duo millia librarum, seu florenorum Gallicorum, singulos, viginti sestertijs computando] exactiois nomine penderet; collectis in eum finem undique thesauris; valvis quoque & laminis aureis, ita necessitate cogente, Templo detractis.

Eâ pecuniâ receptâ, non stetit pactis barbarus. Mittit è Ducibus legatos Ierolymam cum militari manu,

manu, qui deditioem suaderent; Legatorum cæ-
 teris ferocior *Rábsaces*, per internuntios Regem Eze-
 chiam, [ad colloquium enim venire, vel hostes in
 urbem intromittere, detrectabat] & ipsum etiam
 Hebræorum DEUM superbè, sacrilegèque infecta-
 tur. Ezechias interea DEO per preces & hostias
 placando intentus, ab *Isaia* Propheta, Numinis in-
 terprete, spe successûs optimi completur, promif-
 sa Ierosolymorum securitate, & Assyriorum contra
 interitu. *Rábsaces* cum legationis socijs, postula-
 torum irritus, ad Regem suum redit. Qui cogni-
 ta Ezechia in abnuenda deditioe constantiâ, totis
 exercitûs sui viribus ad oppugnandam Ierosolymam
 accingitur. Sed retrahit ab eo proposito nuntius,
 de *Iharaca* Rege Æthiopum, adversus Assyrios ex-
 ercitus ducente. Contra quem maximis & ipse
 cum copijs festinat: missis prius ad Ezechiam itera-
 to mandatis, de Solymorum deditioe: litterisque
 in DEUM blasphemis, & in Ezechiam arrogantibus;
 quas ipse litteras, & causam suam in Templo, cog-
 noscendam DEO committit, fervidâs in cœlum sup-
 plicationibus effusis.

Inter hæc, dum Sennacheribus apud Ægyptios
 & Æthiopas fursum omnia deorsumque versat, E-
 zechias implicatur morbo gravissimo, ulceris inte-
 stini, lethiferoque pure collecti; quod humanis ar-
 tibus immedicabile, non per homines tantum me-
 dicinæ peritos, sed per oraculum quoque divinum,
Isaia denuntiante, declaratum. Ei morbo causam
 suppeditasse creditur turbatus ab Assyriorum armis
 ac vastatione, Iudææ status; &, qui Ierosolymam
 nuper, imprimisque Regem ejus, à Sennacheribi
 minis

minis circumvallavit, terror; in corporis, uti fit incommoda, pestemque se diffundente trepidantis animi sollicitudine. Nec parum ægritudinem promovebant, contumeliæ Divinæ Majestati per barbaros illatæ; quibus accessit occultior providentiæ cœlestis ratio, clientis sui virtutem, infirmitate tam experientis, quàm illustrantis. Divus Hieronymus existimat immissum Ezechiaë à DEO morbum, ne de victoriâ, adversus Assyrios trienniô post obtinendâ, insolesceret. Hæc ut ut se habeant, gravis & periculosa invaletudo attinebat Regem. Ad decumbentem invisit Isaias, DEIque, summi Dictatoris nomine, jubet ad abitum se parare agrotantem. Indicta supremæ necessitatis horæ, largas Regi lacrimas, preces, obtestationes expressit; altum ingemiscenti, telam sibi vitæ in ipso ætatis vigore [quintum & trigessimum agebat annum] præcidi; moriendum sine liberis, sine hærede [Manasses enim nondum erat natus] qui promissum Davidis solium occuparet, qui genus ad venturum Messiam extenderet. Pondus habuere gemitus. Redit iussu Numinis Vates, pollicetur non liberationem tantum ab hostibus, sed integram quoque valetudinis restitutionem, intra tridui spatium; In confirmationem adjecta prodigij, ceu pignoris, sponso.

Placuit siderum & astronomicæ disciplinæ perito, signum è cœlo petere; quodque petijt, DEUS indulfit: Ut, quot in Achazis horologio [id ab eo sacrilegè ex altari templi æneo conflatum, tradunt aliqui] gradibus, umbra radij ferrei regrederetur; totidem etiam diei partibus in cœlo sol retrocederet; quare, cum per decem umbra lineas sub ipsum

meri-

meridiem retroageretur in solario, seu horologio
 sciatherico, sole quoque pari se intervallo, cum
 orbibus cœlestibus, aut certè orbium sideribus re-
 gyrante, accesserunt ad consuetas diei horas quinae,
 eisdemque fecerunt ægroto recuperandæ valetudi-
 nis; quam etiam mox reduxit cataplasma ficuum,
 ulceri superimpositum; salute, quindecim insuper
 vitæ subsequenti annis accumulata. quanquam in-
 sciandum non est, plus divinæ virtutis in illa me-
 dicina, quàm naturalis efficaciam fuisse. Eò DEUS
 ostendit palam fecit, & terris se dominari, & astris;
 tantique à se unum probum fieri hominem, ut non
 dubitet ejus in gratiam naturæ leges immutare. E-
 zechias ex integro confanatus, nihil habuit prius,
 quam Soteria Numini in templo persolvere, ejus-
 que beneficii memoriam compositò à se carmine ec-
 charistico posteritati consecrare.

NARRATIO XCII.
 SENNACHERIBI,
 REGIS ASSYRIORUM
 STRAGES.

4. Reg. 19. Isaia 37.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.

AD propriam ruinam festinatò pervenit, qui
 impotenter graditur ad alienam; documen-
 to est *Sennacheribus*. Qui, ubi superbi victo-
 ris partes, variæ crudelitatis exemplis apud Ægypti-
 os